

rum que non deficiunt premiorum successionem acquirant. Illius igitur assumpto suffragio quod ab ore gabrielis aure meruit tam elegantia verba salutis. Ave gratia plena dominus tecum Benedicta tu in mulieribus et Benedictus fructus ventris tui et dum eligeretur in matrem dei se obtulit in ancillam. Coram Matheo de pertucis regali baroli Iudice Iohanne de Cristiano puplico eiusdem terre notario et testibus subnotatis liciteratis *etc.* stante mecum pro avvocato, provido viro Iudice Nicolao Manco de barolo causa ecclesiastice dignitatis. donavi Irrevocabiliter inter vivos, ad laudem et gloriam dicte virginis dei genitricis, et per fustem tradidi tibi honesto viro Iacono Georgio de Spiritibus canonico maioris ecclesie de barolo pro parte clericorum chori predicte Maioris ecclesie. unam domum meam quam habeo in pictagio marcicani civitatis Baroli, a medio pariete iuxta domum francisci carrerii iuxta aliam domum meam. iuxta transendam et iuxta viam publicam. retento mihi usufructu ipsius domus dum vixero. Ex qua mea donacione et tradicionem nichil aliud peto, ab eisdem clericis. nisi sepulturam in eadem Ecclesia in qua corpus meum post mortem meam sepeliatur inter alios clericos ecclesie memorate, ac singulis annis in memoriam mei obitus anniversarium nec non missas et orationes ad dominum. pro anima mea et remedio peccatorum meorum. quatinus a presenti *etc.* Guadium quoque tibi predicto Iacono Georgio dedi *etc.* Quod scripsi ego predictus Iohannes de Cristiano puplicus baroli notarius predictis rogatus Interfui et meo signo consueto signavi. (*Segue il segno del notaio, che è una foglia palmata a forma di pugnale*).

† Matheus q. s. Iudex. (*Segue il segno*).

† Iacobus bertonus Baroli Notarius testatur.

† Guillelmus de cornetis notarius baroli testatur.

† Vitus de dubblectus testatur.